

Tertio sit Apostolus in eodem Cap. V. Epist. Sectind. ad Corinth.  
 Qui sumus in hoc tabernaculo, ingenitissimus gravati, eo quod volumus ex-  
 spoliari, sed superestiri &c. Scientes quoniam dum sumus in Corpore, pe-  
 regrinamur a Domino ( per Fidem enim ambulamus, & non per speciem )  
 Audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a Cor-  
 pore, & Praesentes esse ad Deum. Evidens est Peregrinari a Domino si-  
 gnificare absentiam a Domino, hoc est, nos heic positos, a reali ejus  
 praesentia sejanctos vivere; Peregrinari a Corpore separationem Animæ  
 ab ipso Corpore. Si ergo Apostolus melius sibi futurum ait, si Ani-  
 ma sua e Corpore abeat, ut sit Praesens ad Deum: nonne tenes, San-  
 torum Animas hinc evolantes illico ferri ad beatificam praesentiam  
 Dei? Propterea jure Sanctus Thomas Aquinas in Commentar. ad hunc  
 locum scribit: Confutatur per hæc verba error dicentium, Animas San-  
 torum decedenientium non statim post mortem deduci ad visionem Dei. Nam fru-  
 stra Sancti auderent et desiderarent peregrinari a Corpore, si separati a Cor-  
 pore non essent Praesentes ad Deum. Et ideo dicendum est, quod Sancti  
 statim a morte vident Deum per essentiam, & sunt in cœlesti Mansione.  
 Eftius quoque vir inter Catholicos doctissimus ex his Pauli verbis de-  
 ducit, evidenter ostendit, Sanctorum Animas Corporibus exutis ( sive a  
 Corpore peregrinantes; utroque enim modo loquitur Apostolus ) esse Domino  
 Praesentes, & quidem eo modo, ut jam non per Fidem ambulent, sed per  
 speciem teneant. Hoe autem est, Deum clare, & per essentiam intueri.  
 Neque dissentit inter Britannos prælaudatus Hammondus. Immo Cal-  
 vinus ipse ab hoc loco convictus, affirmare coactus fuit, Justorum  
 animas, mox ut e Corpore migrant, ferri ad praesentiam Domini.  
 Hoc idem tradidere Patres, ex quibus unum feligo, Chrysostomum  
 videlicet, qui diserte hinc sententiam eamdem eliciebat Homil. x.  
 in Epistol. II. ad Corinth. cap. v. En ejus verba ad hunc ipsum lo-  
 cum: Praesentius est, cum Christo esse, quam Corpus a corruptione libe-  
 rum accipere. Sensus autem horum verborum est hujusmodi. Vitam nostram  
 is non extinguit, qui nos oppugnat, ac morte afficit. Ne timeas: fidentem  
 animum prebe, quem concideris atque obtruncaris. Neque enim ille dum-  
 taxat te a corruptione vindicat, ac gravi sarcina levat; sed etiam ad DO-  
 MINI CONSPPECTUM CONFESTIM (<sup>rexiis</sup>) TRANSMITTIT. Et  
 profecto, si dum Anima cum Corpore conjuncta est, peregrinatur a  
 Domino, hoc est, a praesentia Dei, ejusque beata fruitione longe  
 abest ( nemo enim, in carcere corporeo vivens, ad videndum Deum  
 facie ad faciem admittitur ) consequens est, ut peregrinari a Corpo-  
 re ( id est separari a Corpore ) velhementer cupiat, atque in eum lo-  
 cum transferri, ubi sit Praesens ad Dominum, hoc est emigrare ad  
 Cœlestem Gloriam. Si tantummodo post Resurrectionem Corporum  
 speranda esset hæc Gloria, non dixisset Apostolus ad eam nos duci,  
 postquam definit Anima versari cum Corpore, sed quidem in fine  
 Mundi, qui quando futurus sit, omnino incertum est. Atqui Paulus aper-  
 os docet, ideo exitum ab hac vita Jussis exoptari, quia soluti a